

AUTHENTIAM
DOXOLOGIAE
MATTH. VI. COM. XIII. OBVIAE
A
RECENTISSIMIS OPPVGNATIONIBVS
V I N D I C A T A M

MODERATORE
SIGISM. IACOBO BAVMGARTEN

THEOL. D. ET PROF. ORD. ATQVE SEMIN.

THEOL. DIRECT.

D. XII. IVLII MDCCCLIII.

H. L. Q. C.

T V E B I T V R

CAROLVS ABRAHAMVS WEYLAND

SEDINO - POMERANVS.



HALAE PROPTER SALAM,
EX OFFICINA HILLIGERIANA.

At.

B. III. 50.

Coll. diss. A
145, 4

SLUB
Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

МАТИИНТУА
БАДОЛОХОД
ВАЛЕНКИЕВА
РЕГИСТРИРУЮЩАЯ ОРГАНІЗАЦІЯ
ВІНДІКАТА

СІЧН. ІВОРОВ ВІНДЕКАРІЯ



СІЧН. ІВОРОВ ВІНДЕКАРІЯ



СІЧН. ІВОРОВ ВІНДЕКАРІЯ

INCLYTAE
REIPUBLICAE SEDINENSIS
PATRIBVS CONSCRIPTIS
DOMINIS
CONSVLIBVS
SYNDICO
CAMERARIIS
VNA CVM
RELIQVIS MEMBRIS SENATVS
VIRIS
GENEROSIS, PRAENOBLISSIMIS, AMPLISSIMIS,
PRVDENTISSLIMIS
PATRONIS
OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDIS
FAVSTA QVAEVIS
CVNCTAQVE FELICITATVM GENERA
EX ANIMO PRECATVS
SCRIPTIONEM HANCCE AGADEMICAM
PVBLICE DISCEPTANDAM

INATESSERAM
PIAE AC DEVOTAE MENTIS
CVM SVBMISSA
SVI SVORVMQVE STVDIORVM COMMENDATIONE
EA, QVA PAR EST, REVERENTIA
SACRAM ESSE VOLVIT

TANTORVM NOMINVM

AVGVSTVS MEMBRIS SENATVS
VIRIS
GENEROIS, PRAE NORTISSIMIS, AMPLISSIMIS
PRAE DENTISSIMIS.
PATRONIS
OMNI FELICITATIS CAVTA TROEGAVENSIS
CATHERINA QVASS, 18
C. CATOEG. EDITIONATM. GENFRA
EX ANNO TRICAGTAS
MACM. OBSERVANTISSIMVS CVLTOR
CAROLVS ABRAHAMVS WEYLAND.



Q. D. B. V.



§. I.

t lectoribus harum vindiciarum ratio consilii a nobis initi constet, atque illico appareat non solum argumenti, quod disputamus, grauissimi momentum in re sacra, verum etiam ordo, quem nobis in hac caussa agenda prescrisimus: *primum* introductionis loco et rationes indicabimus, quibus efficiatur superare hoc examen authentiae oraculi vindicandi praestantia et necessitate plerarumque varian- tium lectionum in libris diuinitus scriptis obuiarum disquisitionem, et breuem censum agemus potiorum scriptorum, qui data opera hanc authentiam impugnarunt; *deinde* argu- menta tam externa quam interna commemorabimus, quibus haec authentia nititur, atque ab obiectionibus, quibus sollicitantur, tuebimur; *tandem* vero argumentis contrariae sententiae aduersariorum operam dabimus ut satisfiat.

A

§. II.

2 *Authentia doxologiae Matth. VI. com. XIII. obuiæ*

§. II.

Non leuis aut mediocris res in controuersia est, si vel leuissima textus librorum diuinorum varietas disputatur, in primis si sensum sermonis immutat, cuius ne minimae quidem particulae aut apices impune negliguntur, atque vel fastidiose despiciuntur vel temere pro arbitratu diiudicantur. Quidquid igitur ad integratatem horum librorum rite constituendam, sartam tectamque conseruandam atque a dubitationibus et difficultatibus liberandam pertinet, aut legitimae diiudicationi variantium lectionum eo nomine dignarum inferuit, magni omnino faciendum atque cum sancte habendum et reuerenter tractandum, tum summa cura, sollicitudine viriumque contentione disquirendum est. Tria tamen sunt, quae faciunt, ut huic disquisitioni authentiae verborum, quibus MATTH. VI, 13 formula solemnis precum a CHRISTO domino constituta clauditur, iure meritoque principatus aliquis tribuatur, plerisque saltem huius generis controuersiis praferatur atque in praecipuis grauisimisque illarum habeatur. *Primum* enim neque litterae aut litterarum aliquot, quibus vocis alicuius significatus mutatur, neque vnius alteriusue vocis res agitur, sed plurium vocum integras propositiones efficientium, doctrinarum refertas; quibus priuaremur, si temere et inscienter expungerentur, atque insignis scripturae sacrae particula audacter deleretur. *Praeterea* nemo facile inficiabitur oraculis diuinis, strictissime sumtis, seu sermonibus vel ipsiusmet DEI vel λόγου ἐνσάρκην, IESV seruatoris et domini, in scriptura sacra obuiis singularem competere dignitatem et eminentiam, vt non solum sermonibus hominum angelorumque diuinitus in litteras relatis, verum etiam ipsis legatorum DEI effatis hominumque diuino spiritu auctorum sermonibus antecellant, atque

atque sanctissimam librorum diuinorum partem efficiant. Summa igitur religione cauendum est, ne indubius CHRISTI sermo praestabili parte sua truncetur, si de precibus, quas nobis praeiuit, haec clausula temerario iudicio demeretur. Pertinet denique haec particula sermonum CHRISTI ad loca pragmatica et liturgica, quae non solum faciendorum normas exhibent, verum etiam cultus diuini tam publici quam priuati partem constituunt. Quam ob rem, cum Protestantes huius clausulae usum et recitationem solemnem in sacris publicis non sine ratione restituerunt, atque contra Pontificiorum errorem de authentia et auctoritate versionis *latinae* defenderunt: verendum omnino esset, ne offensioni cederet, atque non solum ab his aduersariis sed ipsis quoque irreligiosis librorum diuinorum obtrectatoribus transuersum abriperetur, ad iactandam sententiae nostrae de incorrupta textus *graeci* librorum noui testamenti debellationem, si ipsimet nunc inconsulto et sine grauissimis rationibus partem precum solemnium CHRISTO auctore constitutarum proscriberemus, atque vel plus tribueremus auctoritati *latinae* versionis quam codicibus *graecis* ad *latinos* non accommodatis, vel cuiquam accessionum subdititarum textui *graeco* ex doctrina et formulis cultus publici sacrorumque ab hominibus ordinatorum imprudenter insertarum suspicionem faceremus.

Licet hae rationes ad ipsam caussae cognitionem nihil quidquam conferant, multo minus autem adducantur ad se-
cus sentientes inuidia onerandos atque vel malae caussae vel
animi suspecti insimulandos: id tamen indubie efficiunt, ut ne-
que sine summa euidentia argumentorum praeualentium ad
abiudicandam huic oraculo authentiam progrediendum sit,
neque illis, qui pro conscientia eandem tuentur, vitio verten-

4 *Authentia doxologiae Matth. VI. com. XIII. obuiae*

dum aut pertinaciae imputandum, si caussam non certe nullius momenti publice agendam suscipiunt. Sicut recte et egregie pronuntiauit ven. IO. ALB. BENGELIVS appar. crit. p. 464; *sanc qui verbum Dei reueretur, mundum mereri nolet, vt talem periocham, contra atque penes conscientiam res fert, vel demat vel addat.* Rem autem ipsam dignoscere, valde est difficile: cui cel. IO. IAC. BREITINGERVS in *musei heluetici part. XI* p. 385 assensus est: ita per ipsos aduersarum partium patronos integrum nobis erit, ab ipsorum sententia non dissentire solum, sed etiam eidem refragari atque cum candore, modestia et sollicitudine contradicere, neque rei dignoscendae difficultate deterri, quae neque augenda neque dissimulanda est, insuperabilis certe haberi nequit.

§. III.

In recensendis nunc scriptoribus eos duntaxat commemorabimus, quorum prae reliquis ratio habenda esse videtur in vindicanda hac authentia, et recentiorum et argumentis vorum criticis, quae accuratius examen requirunt atque a nobis producentur sollicite discutienda. Vetustiorum nomina inter ipsa argumenta comparebunt, quibus ad numerum et praeiudicium faciendum a nonnullis accensiti fuerunt. Ex *Anglis* maiori apparatu, quam praegressorum quisquam adhibuerat, exemplum sollicitandi impugnandi que hanc authentiam praeiuit IO. MILLIVS, tam in observationibus ad MATTH. VI, 13, editionis *Kusteriana* p. 14 etc. quam in prolegomenis §. 385, 888, 1098 & 1360: cui DAN. WHITBY se opposuit in *examine variant. lect. Millii* lib. 2 c. 1 §. 2 p. 29 editionis anni 1727. Hunc sequutus est atque non argumentis sed temeritate exterminandi particulari controuersam ex textu supergressus anonymous editor noui testamenti *graecoanglicani*, quod anno 1729 prodiit,

p. 18

p. 18 et 539; confutatus a LEON. TWELLSIO in *a critical examination of the late new Text and Version of the N. T.* part. I ch. I sect. I p. 8 - 11. Idem ausus est WILL. WHISTONVS, licet in prolegomenis ad harmoniam quatuor euangelistarum, quam an. 1702 edidit, p. 127 authentiam clausulae huius agnouerit, cum in *novo testamento primitivo, quod anglice fabricatus est an. 1745, p. 6,* tum in libri, quem *the sacred history inscripsit, vol. 5 p. 268 - 272.* Cis mare eandem sententiam amplexi sunt duo recentissimi editores noui Testamenti graeci cum examine critico, tam ven. BENGELIVS et in nou. test. p. 8, eiusque apparatu annexo p. 459 - 467 et in *gnomone* p. 50, quam cel. IO. IAC. WETSTENIVS noui test. graeci tom. I p. 326 etc. vbi clausulam iussu magistratus receptam lectionem exhibitur, in textu quidem expressit, obelo tamen dispunctam, atque huius proscriptionis rationes copiose subiunxit. Omnium vero operofissime in sollicitanda hac authentia elaborauit cel. BREITINGERVS, tribus dissertationibus integris, in *museo helveticō* editis, cuius partic. XI tom. 3 p. 370 - 407 exhibetur *diff. epistolica, qua argumenta, quibus clausulae O. D. αὐθετία vulgo propugnari solet, modeste expenduntur;* partic. XVI tom. 4 p. 591 - 616 *diff. critica, quae scrutatur & expendit caussas, ob quas δοξολογία in orationis domin. formula apud S. LVCIAM desideretur;* et partic. XVIII tom. 5 p. 219 - 261 *disquisitio critica de examine dubiae N. T. lectionis rite instituendo; exemplo MATTH. VI, 13 illustrata.*

Retulit cel. BREITINGERVS m. h. tom. 3 p. 394 GERHARDVM A MASTRICHT inter illos, qui $\gamma\eta\sigmaιο-\tauητα$ huius clausulae quam maxime dubiam faciunt, ven. BENGELIVM sine dubio fecutus, qui l. c. p. 464 idem perhibuerat: quod quantopere a vero aberret nuda collatio cano-

6 *Authentia doxologiae Matth. VI. com. XIII. obuiæ*

num criticorum 10 et 14 ab eodem excitatorum satis com-
monstrat, quibus pronuntiauerat, neque tres aut quatuor co-
dices, maxime in omissendo, contra viginti et quod excurrit
alios manuscriptos, neque versiones etiam antiquissimas ab edi-
tis et manuscriptis differentes facere variantem lectionem, sed
magis ostendere oscitantiam interpretis aut corruptionem ex-
emplaris, quo usus fuit. Quae eadem pagina leguntur, de
auctoritate et consensu omnium, qui a restauratis sacris in
re critica excelluerunt, atque de præiudicio, quod illorum
auctoritas oppositae sententiae afferat, cuius asseclae non ob-
scure ad Theologorum turbam reiiciuntur, qui has litteras
artis criticae ne primis quidem labris degustare solent, neque
minus p. 385 his fere similia, aliquantum iactantius et glo-
riosius scripta videbuntur illis, qui neque nominum aut ar-
tium impenetrabilium terriculamentis obstupescunt, neque
ignorant nec defensoribus sententiae abiectius habitae nomina
sua deesse, etiamsi quid dicatur studiosius attendant, quam a
quo dicatur.

§. III.

Inter *argumenta*, quibus omnis authentiae locorum
controversorum diiudicatio innititur, maximum omnino
momentum trahunt *externa*, seu testimonia et codicum grae-
corum, et versionum antiquarum, et scriptorum vetustiorum.
Ut igitur ordine procedamus, codicum manuscripto-
rum auctoritati primas deferemus: quorum tanta est in ap-
probanda authentia clausulae huius consensio, vt ex omni
codicim, qui adhucdum innotuerunt, copia tres duntaxat
deprehendi potuerint eadem destituti, quos tamen singulos
latinizare atque indubie ad versionem *latinam* accommodatos
esse, atque adeo intestabiles iureque suffragii priuatos appa-
rebit, vbi inter *argumenta* alterius sententiae excitabuntur.
Quidquid ad infirmandam tot testium primi ordinis, imo
vnani-

vnanimis consensus omnium praerogatiuae classis testimoniorum auctoritatem ab aduersae partis propugnatoribus adducitur, huc reddit: 1) exstissee olim codices, qui hac clausula caruerunt, licet iam dudum perierint; quod tam scho- liis *graecis* vnius codicis *caesarei* apud ven. BENGELIVM p. 462, atque trium aliorum apud cel. WETSTENIVM p. 326 comprobetur, vbi haec leguntur τὸ δὲ, ὅτι σοῦ ἐξι- ο. τ. λ. ἐν τοῖσιν οὐ κεῖται μέχρι τοῦ αἰμήν, quam patrum *grae- corum* locis, vbi haec solemnis formula precum sine clausula recitatur: 2) omnes in vniuersum codices adhuc superstites antiquitate concedere monumentis vetustioribus, scriptisque patrum, quorum suffragiis proscribatur clausula, cuius interpolatio antiquior fuerit codicibus, quotquot supersunt: et 3) solis codicum *graeorum* suffragiis in lectionum varie- tate arbitranda et dijudicanda standum non esse, quibus quantum subinde praeualere debeat interpres *latinus* patrum testi- moniis stipatus vno exemplo controuersi loci i IOAN. V, 7 satis constare possit, de cuius authentia conclamandum sit, nisi ita statuatur. Verum enim vero in *prima* obiectione non solum necessariam consecutionem desideramus, sed ipsam probabilitatem coniiciendique dexteritatem: quum et neutrō argumento verisimile euadat nedum efficiatur exstissee olim alios eiusmodi codices, et ipsa assumptio, etiamsi libe- raliter daretur, ad conclusionem eliciendam nihil valeret. Verba scholiaстae excitata ad ipsas versiones, *latinam* inpri- mis, multo magis autem ad codices *graecos* ex *latinis* confor- matos, qui adhuc supersunt, aequē spectare possunt quam ad deperditos in gratiam horum verborum comminiscen- dos. Patrum lectiones a codicibus diuersae, in primis si omissionibus et praeteritionibus absoluuntur, non sufficiunt ad codicum deperditorum locis praeteritis destitutorum con- iectu-

8 *Authentia doxologiae Matth. VI. com. XIII. obuiae*

iecturam probabilem reddendam; quod aliunde deriuari possunt. Neque hac fictione codicum quidquam ad caussae cognitionem proficitur, sine accessione duarum opinionum aequae commentitarum, alterutrius saltem; neque accommodari potuisse hos codices *latino* interpreti, quod perquam antiquitus inualuisse constat, neque librariorum vel negligentia vel emendandi pruritu nimiaque sagacitate truncari, quod saltem improbabilius dici nequit: interpolatione, in qua oscitantiae et incuriae nullae partes sunt. Nimius certe in coniiciendo fuisse videtur ven. BENGELIVS, dum p. 462 post allegationem scholiaстae sic pergit: *tale fortasse exemplar, ex quo graeca in bilinguem cantabrigensem transunita sunt clausula utrinque carentem*, cuius vnam partem *graecam* ad alteram *latinam* accommodatam esse ipse met non ignorauit. Qui altera obiectione vtuntur et eadem improbabilitate atque audacia nimium detrahunt de antiquitate codicium *grae-
corum* in vniuersum omnium, qua ab aliis supra modum au-
getur, et plus omnino probant quam requiritur; quum idem de codicibus tam *latinae* versionis quam patrum valeat, qui si antiquiores praegressos fideliterque transcriptos exacte referre potuerunt, cur eadem conformitas cum antiquioribus ipsisque authenticis codicibus in *graecis* duntaxat locum habere nequeat, vt ad vnum omnes in gratiam *latini* inter-
pretis non transformati interpolationem subierint, ratio nul-
la appetit. Tertiae obiectioni non solum veritas deest, sed ipsum veritatis studium refragatur. Tantum enim abest, vt caussa clausulae huius sola codicum *graeorum* auctoritate nitatur, vt etiamsi codices in partes discederent, atque vnius sententiae suffragia alterius testimonia prorsus aequarent, ni-
hilo secius obtineretur reliquis argumentis et testimoniis, quorum census breui agetur. Oraculo litigioso 1 IO. V, 7
aliter

aliter et securius consuli debet quam medicina, quae ipso morbo periculosior sit. Neque eadem est ratio omissionum seu praeteritionum in codicibus *graecis* obuiarum, quæ interpolationum, in primis si plures illarum et innocentiores et verisimiliores occasiones locum inueniunt, quibus haec destituuntur. Pessime saltem ageretur cum re critica, si in gratiam locorum quorundam dubiorum leges et praecepta artis constituerentur, atque vnius alteriusue oraculi vel grauissimi tuendi cauſsa omnium in vniuersum incorrupta integras labefactaretur atque in suspiciones insuperabiles adduceretur.

Insigniter augetur argumenti huius momentum, si numeri codicum, qui Euangelia exhibent, ratio habetur, longe maioris copia illorum, qui reliquos noui testamenti libros continent: etiam si mancorum atque huius partis MATTHAEI iacturam passorum, quidquid sit, ut par est, subtrahatur; in quibus *alexandrinus* omnino numerandus est, qui a nonnullis cauſae nostrae patronis perperam et inscite allegatur.

§. V.

Proximum a codicibus *graecis* locum occupant versiones antiquae, omnibus patrum testimoniis superiores, si ex textu non alia versione translatee fuerunt. Inter quas eminet nulli alii vel antiquitate vel praestantia inferior *syriaca*, quam merito miramur a ven. BENGELIO l. c. p. 459 omnium postremam collocari in censu versionum antiquarum. Quod tamen longe excusatius fieri potuit inobseruato temporis ordine, impugnatione auctoritatis huius suffragii a cel. BREITINGERO facta, qui non solum m. h. tom. 5 p. 259 pronuntiat saec. VI et VII illam interpolationem fuisse, verum etiam ibid. p. 257 etc. copiosus est in ap-

B

proban-

10 *Authentia doxologiae Matth. VI. com. XIII. obuiae*

probanda lectoribus inopinata hac sententia. Licet enim ea omnia, quae de noua versione syriaca saec. VI facta, VII vero retractata, ex ven. CHRIST. BEN. MICHAELIS annot. ad bengelianam tractationem de sinceritate noui test. graeci tuenda p. 10 &c. desumferit, ipsumque calami errorem nominandi XENAIAM nouae versionis auctorem magubensem, pro mabugenji, retinuerit: nihilo tamen secius asseruit: *hodie non alii existant syriaci codices, quam qui ex hac a THOMA HERACLEENSI reformata editione descripti et propagati sunt etc.* Cuius opinionis contrarium eodem teste ASSEMANNO, qui ibidem adducitur, edoceri potuisset. Differt enim illa recentior versio a vetustiore, quam *simplicem* vocant *Syri*, et quam editiones exhibent, si a libris *deuterocanonicis* discesserimus; utriusque bene multi codices existant, quod usus publicus diuersarum ecclesiarum satis comprobat; neque recentioris interpolatio et retractatio vetustiori imputari debet. Prouocatio eiusdem scriptoris ad intercalationem loci 1 IO. V, 7 a recentissimis editoribus factam, iureque culpandam, nullam ipsiusmet versionis in reliquis editionibus, quae ab hoc additamento immunes sunt, corruptionem euincit, cuius ne ipsae quidem hae editiones reliqua cum praegressis conformes, atque recens augmentum professae, iure accusari possunt.

Quae a ven. MICHAELIS libri excitati p. 5-12 disputantur ad liberandam *syriacam* versionem veterem ab interpolationis suspicione, illis etiam, quae cel. WETSTENIVS p. 109 etc. et 112 etc. perhibuit, supplendis et emendandis inferuire poterunt, quamuis longe tolerabilioribus inaudita opinione *breitingeriana* de versione simplici plane perdita, laboribusque recentiorum interpretum immutata.

§. VL

§. VI.

Quae hanc excipit gothica VLPHILAE versio quatuor Euangeliorum a cel. BREITINGERO l. c. p. 285 etc. plane omittitur, vt numerus versionum antiquarum hac clausula truncatarum, numerum illi suffragantium aequiparare speciosius possit. Difficulter enim ignorauit vel ipsum hoc suffragium vel pretium, quod huic versioni alias statuit ven. BENGELIVS, quem reliqua sequitur, et ex cuius appar. p. 463 locum THOM. MARESCHALLI obseruationum de vers. goth. editionis iunianae p. 466 desumfit, ab ipso tamen ven. BENGELIO prima parte sua truncatum, quae ita se habet: *magnopere enim ac merito sibi gratulantur viri docti, de clausura orationis dominicae hic plenissime conuersa etc.*

Disceptatio cel. WETSTENII cum ven. BENGELIO de origine et fonte huius versionis, eo tandem rediit, vt ille nunc in nouis prolegomenis p. 114-116 verbis non re ipsa ab hoc dissentire videatur, atque interpretem textum *gracum* aequi sectari fateatur; quam subinde ad versionem *latinam* se accommodet. Reliquas aliorum contentiones de aetate et auctore huius versionis, linguae etiam nomine, parum hic curamus, dummodo de antiquitate ex *gracco* textu factae versionis constet.

§. VII.

Armenae versionis suffragium a cel. BREITINGERO excitatur quidem p. 258 etc. sed addito iniquiore iudicio, quo illa versio *ex parte syriacae propago* dicitur, ad suspicionem deriuationis clausulae huius ex eadem faciendam. Quidquid hanc in rem ibidem ex ven. BENGELIO adducitur ad verba IO. IOACH. SCHROEDERI in thes. ling. *armenicae* dissertationis de ling. *arm.* p. 35 recidit, quae, si integre proferuntur, *hi enim κατ' ἐξοχὴν* interpres *didi non scriptu-*

12 *Authentia doxologiae Matth. VI. com. XIII. obuiae*

ram solum sacram sed et alios philosophicos atque historicos libros plurimos ex graeca et syriaca lingua in haicanam transferentes - - - facti sunt columnae ecclesiae armenicae etc. nihil continent, quod suspicionis illius fidem faciat. Ex eiusdem enim disputationis §. 5 et 7 p. 58-61 intelligi potuisset scripturam sacram ab his interpretibus ex *graeca* lingua translatam fuisse, ex *syriaca* vero alios libros philosophicos atque historicos. Altera suspicio accommodatae huius versionis ab editore VSCANNO ad *latinam* versionem, de suffragii, quod hic disputamus, auctoritate nihil derogare potest; quum interpreti *latino* refragetur.

A MILLIO praetermissum fuisse hoc suffragium, quod ipsum latuisse videtur, faciliorem excusationem habet, quam ciusdem neglectus apud cel. WETSTENIVM p. 326, qui ex ven. BENGELII appar. p. 459 eius mentionem compere potuisset: vbi verba vncinis comprehensa; *Armen.* (in ms. IV Euangel.) eo trahi neutquam debent, vt clausulam abesse ab edito n. test. credatur; exstat enim editionis *vscaniana* an. 1668 p. 22. Ex vol. 3 der Nachrichten von einer hallischen Biblioth. vbi p. 189-194 de hac n. test. versione agitur, quorum cel. BREITINGERVS lectores remittit, constare potest, fuisse, qui *armenam* versionem vti longe meliorem ita et antiquiorem *syriaca* iudicarunt: cui existimationi licet non assentiamur, multo tamen minus illis accedimus, qui eam ex *syriaca* vel factam vel interpolatam et retractatam opinantur. Ven. BENGELII verba p. 465: *Chrysostomum Armenumne secutus est Syrus, Syrum Persa, sic enim solent, eo magis a vero aberrare ipsaque verisimilitudine destitui videntur, quo minus cum altera ipsiusmet opinione conueniunt, de armenica versione ex syriaca conformata.*

§. VIII.

Idem fere accidit versionis *aethiopicae* testimonio, a MIL-

MILLIO et cel. WETSTENIO praetermisso, a ven. BENGELIO autem et cel. BREITINGERO commemorato quidem sed male accepto atque tripliciter impugnato. Primum enim *iunior* vocatur a cel. BREITINGERO p. 259, quae non tantae sit antiquitatis, ut eius suffragium in hac causa possit esse alii-*cuius momenti*: quae parum certe conueniunt cum sententia bengeliana appar. p. 465 obuia, vbi diserte legitur, *paullo antiquior est verio gothica, vel etiam aethiopica quam syriaca et armenica.* Verum utriusque opinaciones modum excedunt atque rationibus destituuntur indubiusque monumentis repugnant, quibus vetustissima antiquitas versionis *syriacae* comprobatur, atque parum distans a conuersionis AETHIOPVM ad CHRISTVM tempus a translatione noui test. in linguam illorum probabile redditur. Praeterea variarum coniecturarum mentio iniicitur eo comparatarum, vt ex numero versionum, quas immediatas vocant, eximatur, atque pro confecta ex *coptica* vel *syriaca*, ad illam saltem retraetata et interpolata habeatur. Quas suspiciones aeque ac *tertiam* obiectionem conformatio*nis* ad *latinam* versionem in editio*n*e *romana* factae ita dispulit ven. MICHAELIS cum in *traktatione crit. de var. lect. n. test. §. 24-26* p. 31-36 tum in prae*fatione* ad clar. CHRIST. AVG. BODII versionem *aethiop.* euang. *Matth.* collatam cum textu *graeco*, vt mirum omnino videatur a cel. BREITINGERO denuo produci potuisse, cum aperta confusione eorum, quae versioni actuum apostolicorum euenerunt cum versionis euangeliorum conditio*n*e nullius interpolationis suspecta, etiamsi ipsa haec clausula in eadem obuia contrarium demonstret, quae ex *latina* saltem inseri non potuit.

Quarta suspicio, huic pariter ac *gothicae* versioni obiecta a ven. BENGELIO p. 465 his verbis: *et quia gothica, vel etiam*

14 *Authentia doxologiae Matth. VI. com. XIII. obuiae*

etiam aethiopica, adhuc non nisi ex uno est producta codice tam conspicui loci decisio ab iis non est petenda cum aequitate huius scriptoris alias conspicua difficulter conciliari potest. Magnopere enim differunt decisionem loci alicuius ex versione petere, quod perperam fieret, si vel centum illius codices suppeterent, et suffragium variantis lectionis exinde desumere, quod ex WIDMANSTADII editione versionis syriacae optimo iure fieri potuit, antequam plures illius codices in Europam aduecti innotuerunt. Quintam coniecturam, quae ibidem sic legitur; sed aut ad ipsum utriusvis (gothicae et aethiopicae versionis) auctorem ex byzantino climate peruenit clausula, minus morabimur, quod de aethiopica veridissimilla est, ob perpetuas fere dissensiones ecclesiarum constantinopolitanae et alexandrinae, cui semper adhaeserunt aethiopes, climatis byzantini admodum ignari et incurii.

§. VIII.

De arabica versione cel. BREITINGERVS p. 256 haec pronuntiat: „his adiungo versionem arabicam, cuius sex editiones commemorat vir clariss. Christ. Ben. Michaelis, in tractat. crit. de var. LL. N. T. caute colligendis et dijudicandis, nouissime edita: ex quibus nonnisi vna Erpenii IV. Euangeliorum clausulam apud Matthaeum exhibet; reliquae omnes eam ignorant. At non ea est huius versionis per plures editiones propagata, vel si etiam diuersae fuerint, antiquitas, ut idonei testis in hac causa auctoritatem habeat. In quibus bene multa occurrunt; quae emendationem requirere videntur. 1) Non una duntaxat sed duae editiones clausulam exhibent. Recentissima enim londinensis p. 14 aequae illam habet, quam erpeniana: licet inter testes huius lectionis comparere nequeat, quod a SALOMONE NEGRI ipsius editore ad textum graecum meliore animo quam consilio conformata est. 2) ERPENII editio non quatuor duntaxat

taxat euangeliorum est, sed prior *romana*: vtriusque descriptio vol. 2 der *Nachrichten von einer hallischen Biblioth.* p. 291-298 suppeditatur, vbi tamen codicis descripti et ab ERPENIO editi annus martyrum 988 perperam cum anno a CHRISTO nato 1342 contenditur, in annum 1272 transferendus, quod aera martyrum ab anno CHRISTI 284 incipit. 3) Non vnam sed plures versiones vere diuersas exhibere has editiones, non quidem singulas sed plerasque, instituta comparatio quemuis facile docere potest. Versio in vtraque editione *polyglotta* tam *londinensi* quam *parisiensi* eadem est atque a *romana* priore parum differt, atque recentior esse videtur versione editionis *erpeniana*, in qua quatuor euangelia indubie ex *graeco* textu, reliqui libri ex *syriaca* versione translati sunt. 4) Quum codex editionis *erpeniana* ad saeculum decimum tertium pertineat, ipsa igitur versio antiquior, ex vetustiore codice *graeco* facta sit, *graeci* vero codices eiusdem et inferioris aetatis in testibus lectionum variarum numerentur: nulla ratio probabilis locum habet, referendi hanc versionem editionis *erpeniana* ad intestabiles.

Non plane praetermittenda fuisset a cel. BREITINGERO in censu exacte agendo mentio *arabicorum codicum mss. anglicanorum* a ven. BENGELIO commemoratorum p. 459, quos suspicamur illos esse, quorum tam MARESCHALLVS l. c. p. 466, quam IO. GREGORIVS libri inscripti *Notes and obseruations upon some passages of Scripture cap. 38. p. 160 etc.* notitiam dederunt. Dabimus huius locum satis memorabilem: „the Arabick hath it too, not only the printed copy by Erpenius, but a Manuscript too of very good, and gallant note in Queens-colledge Library. Yet in the medicean copy I do not meet with it. And in that which Kirstenius hath noted upon, the clause indeed is set down, but not running along with the Text. Tis written above „in

16 *Authentia doxologiae Matib. VI. com. XIII. obuiae*

„in red letters, and pointed to by this Note in the Margin:
„Non haec in Aegyptiaco, et sunt in Romano et Syriaco. So
„that there is no more to be gained by this, than that the
„clause is extant in the Syriack and the Roman (that is the
„Greek here, *Alrumi* signifieth so too), which is no more
„than we knew before etc., Maior tamen culpa est cel. WET-
STENII, qui *arabicam* versionem inter testes vnius dunta-
xat partis ad impugnandam authentiam clausulae produxit,
posthabita penitus commemoratione versionis antiquioris.
Ad *persicam* versionem non prouocabimus, quod vtraque tam
in *polyglottis* obuia, quam ab ABR. WHELOCO edita atque
vol. I der Nachr. von einer hall. Biblioth. p. 283-285 de-
scripta, in quibus clausula deprehenditur, ad versiones per-
tinet, quae *mediatae* vocantur, quum ex *syriaca* confecta sit.
Ipsemet posterioris editor p. 30, postquam codicis *pocokiani*
variantem lectionem huius clausulae adduxerat, haec scribit:
„postremam hanc periocham confidenter asserere dictatam
„discipulis a Christo non fuisse, ingenii est ad minuendam scri-
„pturae fidem valde procliuis; cui antiquissimam illam eccle-
„siae antiochenae *syriacam* versionem et quae illam sequitur,
„*arabicam* *persicamque* cum aliis venerandam prae se ferenti-
„bus caniciem, opponit Ecclesia. „ Quod de *persica* omni-
no indubium est, de *arabica* vero vniuerse magis quam sin-
gulatim admitti potest, de *erpenianae* editionis versione sal-
tim concedi nequit.

§. X.

Tertius sequitur testium ordo scriptores antiquos complexus, qui clausulam hanc diserte commemorant atque ut partem sermonis CHRISTI producunt: quorum auctoritatem ab aduersariis impugnatam breuiter vindicabimus. Primum in illis vetustatis locum tribuimus scriptori *constitutionum apostolicarum* pseudonymo quidem atque CLEMENTIS *romani* nomen indubie mentito, proscribendo etiam ex faecu-

saeculo apostolico, sed perantiquo neque ad finem saeculi quinti detrudendo: licet id adeo sibi persuasum habuerit cel. BREITINGERVS, vt non solum l. c. p. 249 scripserit; *totum opus διαταγέων vix ante saeculi V exitum esse consarcinatum sagacissimi harum rerum iudices statuunt*, verum etiam p. 250 annum post Chr. nat. 490 incredibili confidentia eidem assignauerit. Quae opinatio quantopere a vero abhorreat, testimoniis EV-SEBII hist. ecclef. lib. 3 c. 25 coll. cum c. 38, ATHANASII et EPIPHANII aliorumque illum annum praegressorum, qui pluribus locis subdititium hunc librum excitarunt, satis euincitur. Tempus probabile fabricationis disputatur vberius a IO. ALB. FABRICIO biblioth. graec. lib. 5 c. 1 §. 12. vol. 5 p. 33 etc. atque lib. 6 c. 1 §. 7 vol. 11 p. 11 etc. Aliam viam ingressus est ven. BENGELIVS detrahendi de au~~cto~~ritate huius testimonii l. c. p. 459, vbi post commemorata loca constitutionum apostolicarum, quibus clausula exhibetur l. 3 c. 18 et l. 7 c. 24, haec addit, *quas interpolatas esse, ex hoc ipso loco infert WALLIVS in notis crit. p. 8.* Verum hic coniector MILLIVM sequitur, neque tamen recte intellectum, qui idem fere pronuntiauerat sine rationibus: *simplicem eam, qualis hodieque exstat, citat quidem apostolicarum constitutionum interpolator quisquis ille, caeterum recentioris aliquanto aeu*i*.*

TAW. Merito miramur vtrumque huius testimonii impugnatorum effugisse discepantiam horum locorum, erroremque WHITBH, qui l. c. p. 29 scripsit „*apostolicae constitutiones* „*hanc precationem bis exhibent pariter ac in textu, minime „*mutilam et decurtatam, eamque appellant nomine precatio- „*nis, ἡνὶς Κύριος ἡμῶν ἐν τῷ ἐναγγελίῳ δετάξατο* „*Secus enim rem se habere ipsa inspectione constare potuisset. Lib. 3 c. 18 p. 289 editionis cotelerianae anni 1698 integra exhibetur clausula, sed sine adducta commendatione, quae lib. 7 c. 24 p. 370 deprehenditur: vbi tamen clausula sic legitur***

18 *Authentia doxologiae Matth. VI. com. XIII. obuiae*

ὅτι σοῦ ἐσιν η̄ βασιλεία εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν. Quae immutatio siue ex compendio scribendi βασιλεία - - εἰς τοὺς η̄ τ. λ. derinetur, siue indicet perinde fuisse veteribus contractae clausulae recitationem in primis priuatam, ac si integre peroraretur, ipsamque omissionem indifferenter habuisse, nihil certe de auctoritate testimonii derogat, sed occasionem potius subiicit truncandi precationem in sacris faciendis, priuatim maxime, hac formula, quae nunquam partem illius constituere sed clausulam atque accessionem aliquam efficere visa fuit.

§. XI.

Certissimus omnium est atque luculentissimus in approbanda hac clausula IOANNES CHRYSOSTOMVS, qui non solum tomī tertii p. 32 editionis montfauconianaē in explicanda oratione dominica occupatus scribit, διὸ τοῦτο καὶ τῷ τέλει τῆς προσευχῆς, τοῦ Θεοῦ τὴν βασιλείαν καὶ τὴν δύναμιν καὶ τὴν δόξαν ὑπέδεξεν, εἰπὼν. ὅτι σοῦ ἐσιν η̄ βασιλεία καὶ η̄ δύναμις καὶ η̄ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν: verum etiam tom. 7 p. 253 commentaturus in hanc partem MATTHAEI cum integra verba capitī 7 versus 13, prout leguntur in editis exemplis, recitat, tum p. 254 copiose interpretatur hanc clausulam, atque in usum multiplicem auditorum transfert.

Plura loca eiusdem scriptoris commemorat cel. WETSTENIVS, sine designatione tamen editionis, a cuius diueritate homiliarum denominatio et numerus penderit. Nemini ipsa verba utriusque loci percunctato facile persuadēbitur, CHRYSOSTOMVM vel populariter agere, clausulamque licet explicatam a se nihilo secius pro parte textus non habere potuisse, quod ver. BENGELIO probabile videtur; vel solum illum codicem, qui post 400 prope annos in ip̄sius manus peruenit, et in quem haec clausula, quae hactenus per quatuor fere saecula tanquam pars O. D. fuerat ignorata, irreperit,

pserit, prout loqui placuit cel. BREITINGERO l. c. p. 248. aliis omnibus praelaturum fuisse, si ex liturgiis aut aliunde reccens interpolatum sciuisset, quod certe ignorare non potuisset.

§. XII.

Ex sequioris temporis scriptoribus cel. BREITINGERVS duos duntaxat producit, ISIDORVM *Pelusiotam*, quem bis l. c. p. 248 atque 250 *peleusiotam* perperam vocat, et THEOPHYLACTVM, neutri tamen *seiunctum* a CHRYSOSTOMO in hac causa suffragii ius tribui posse arbitratur: quod prior discipulus et superstitionis eiusdem cultor acerrimusque vindex, posterior fidelissimus epitomator fuit. Quod ab iniuitate parum abesse neque studio partium excusari posse cuius apparebit, qui secum reputauerit, non solum CYPRIANO *seiunctum* a TERTVLLIANO, verum etiam HILARIO *pietavensi* p. 242 etc. peculiare tribui testimonium, licet hic orationis dominicae explicacionem praeterierit, atque ad ambos hos scriptores tantum remiserit lectoris.

Si apud ISIDORVM libri 4 epist. 24, quae ad EUTONIVM diaconum data est atque p. 424 etc. editionis *morelliana* deprehenditur, ubi haec clausula bis legitur, conferatur cum libri 2 ep. 280, ad THEODOSIVM scholasticum p. 249, indubium euadet scriptorem hunc ne in ipsa quidem interpretatione formulae precum, CHRYSOSTOMO adhaesisse aut assensum fuisse per omnia: quod coniecturam veri dissimillimam facit, recurrentum ipsi fuisse ad CHRYSOSTOMVM in textu illius exhibendo.

§. XIII.

Aequior est ven. BENGELIUS, qui, praeter iam commemoratos, alios partibus nostris largitur testes, et GERMANVM *constantopolitanum* et EVTHYMIVM. Quibus cel.

C 2

26 *Authentia doxologiae Matth. VI. com. XIII. obuiae*

cel. WETSTENIVS ipsum addit GREGORIVM *Nyssenum*, cuius verba examinabimus inter testes aduersae partis, vbi inter principes comparebit, atque *pseudo-AMBROSIVM de sacramentis lib. 6 c. 5.* Neque praetermittenda nobis videtur vtraque patrum *graecorum* catena a BALTH. CORDERIO 1646 edita, prior 21 patrum, vbi p. 87 et clausula legitur et succincta CHrysostomi explicatio; posterior NICE-TAE ex 30 patribus collecta, cuius p. 230 clausula cum collectoris interpretatione legitur.

Disceptationem de *opere imperfecto* in MATTHAEVM et *Pseudoambroſio de sacram.* a ven. BENGELIO p. 461 commemoratam non attingemus: quod testium affatim nobis superesse existimamus.

§. XIII.

Illustrem tamen locum dialogi *Philopatridis* nomine inscripti et inter LVCIANI opera obuii, atque varie in utramque partem in hac controuersia disputatum, cur testibus nostris non annumeremus, rationes breuiter reddendae sunt. Facit hoc neque difficultas constituendi certum auctorem tempusque scripti nefandi, qua in re facile assentimur cel. IO. MATTHIAE GESNERO, qui in disputatione retractata, operum *Luciani* editionis anni 1743 tom. 3 p. 708 etc euictum dedit *samosatensi* irrisori abiudicandum esse foetum detestabilem, cui nec admodum refragamur in addicendo illaudabili opere recentiori LVCIANO, IVLIANO apostatae aequali, quod nostra nunc parum refert; neque dubitatio de sensu verborum, quae l. c. p. 616 sic leguntur, ὡς ἔαστον τούτους, τὴν εὐχὴν ἀπὸ πατρὸς αἰρέξαμενος, καὶ τὴν πολυώνυμον ὁδὸν ἐς τέλος ἐπιθεῖς; in quorum interpretatione neutram a nobis impetrare possumus, vt cel. BREITINGERO

GERO accedamus, qui l. c. p. 250-254 copiosus fuit in explicanda postrema parte huius formulae de hymno solemni a THOM. SMITHO peculiari commentatione illustrato. Licet enim largiamur, perantiquum esse illum hymnum, qui *constitutionum apost. lib. 7 c. 47* iam legitur, atque cum *doxologia magna*, tum hymnus matutinus vocatur: ipsa tamen locutione atque structura verborum impedimur ab interpretando πολυώνυμον ὡδὴν de solemni hoc hymno, quo veteres sacra precesque auspicari, non finire consueuerunt. Verum, vt quod res est fateamur, ipsa haec verba TRIEPHONTIS apud LVCIANVM recitationem duntaxat doxologiae alicuius post orationem dominicam indicant, siue clausulae solius, quam a CHRISTO traditam peculiaris appendicis et formulae instar seorsim recitare antiquitus coepерunt veteres, siue auctae sensim adiecta IESV CHRISTI et *spiritus sancti* mentione, qualis in *Graecorum liturgiis* deprehenditur: nihil vero demonstrant de clausulae authentia, quae in sacris *christianis* recitari potuisset post orationem, quae incipit a patre, et a quo luculenter satis disiungitur, etiamsi CHRISTVM auctorem non haberet. Quam ob rem cel. WETSTENIVS l. c. p. 327 ea verba de doxologia, quibus *graeci* formulam precum diuinitus constitutam claudere solebant, intelligit, quam nihilofecius ad CHRISTI sermonem pertinere operosissime negatum iuit.

Intemperantius scribere videtur cel. BREITINGERVS l. c. p. 250, postquam commemorauerat, quosdam in hac caussa ad LVCIANI testimonium prouocare, ex quibus vnum duntaxat producit GOTTFR. OLEARIVM: *at quotquot viri docti haec Luciani verba animo a partium studio vacuo expenderunt, hanc interpretationem, seu potius violentiam ad hypothesin accommodationem, reticiunt.* Quod neutiquam faciunt IO. GREGORY obseruat. c. 38 p. 162 etc. IO.

BAPT. COTELERIVS annot. ad constit. apost. l. 3 c. 18 p. 289, WHITBY l. c. p. 29 et cel. WETSTENIVS, vt alios praetereamus, quos nihilosecius neque ex doctorum virorum ordine proscribendos, neque partium studii insimulandos esse arbitramur.

§. XV.

Progredimur nunc ad *argumenta interna*, quorum minorem quidem quam externorum, non tamen omnino nullam rationem habendam esse existimamus eandem ob causam, qua nonnulli ad secus sentiendum iudicati fuerunt, quod authentia sermonum ad res facti pertinet, non aliter certe disceptanda quam rerum gestarum narratio, in cuius disputatione quamquam testes primum audiendi sunt et examinandi, ipsa tamen rei narratae vel probabilitas vel improbabilitas plane incredibilis neglegi nequit. Quidquid vero horum argumentorum est, facile ad quatuor capita reuocari poterit. *Primum* in eo collocatur, vt ostendatur nihil continere clausulam controversam, quod vel leuissimam erroris suspicionem facere possit. Temere et incassum suscipere refutetur illud negotium, nisi constaret, non solum actum esse penitusque conclamandum de oraculi authentia, cuius argumentum indubiis doctrinis Deique sermonibus vere refragari appareat, longe vero maiorem testium auctoritatem requiri ad fidem oraculi faciendam, quod speciem falsi errorisque praebat, atque difficultatibus laboret; verum etiam id agere aduersarios, vt non aperte sed cuniculis eorum, quae hac clausula proponuntur, veritatem certissimam subruant et euertant. Dupliciter id tentatum fuisse merito dolamus. *Vnius* accusationis intempestiuæ celebrationis DEI ipsa ven. BENGELII verba dabimus, qui *gnomonis* p. 50 haec scribit: „Nam sanctificatur & glorificatur a nobis eo „ipso

„ipso coelestis Pater, dum ut Pater coelestis inuocatur, dum
„tantae res ab Ipso vno petuntur, dum omnia ad Ipsum so-
„lum referuntur. Celebramus Eum autem tali fere modo,
„quo Peregrinantes et Militantes contenti esse debemus. Vbi
„ad metam peruererit vniuersitas filiorum Dei mera fiet in
„coelo doxologia. Sanctificetur nomen Dei nostri. Venit re-
„gnum eius: facta est voluntas eius. Remisit nobis peccata: ten-
„tationem ad exitum perduxit, a Malo nos liberauit. Ipsius est re-
„gnum et potentia et gloria in secula. Amen. Praesertim tem-
„pori illi, quo Dominus hanc formulam discipulis praescrit-
„psit, conuenientior erat rogatio, quam hymnus. IESVS
„nondum erat glorificatus: discipuli vix dum capiebant am-
„plitudinem harum rogationum, multo minus vim gratia-
„rum actionis ei respondentis., Admodum veremur, ne
haec longe plura efficiant, quam vlla ratione excusari nedum
approbari poterunt. Si horum verborum opinionibus stare
liceret, supersedendum nobis esset omni celebratione Dei
diserta, explicita et solemnii quoad hic peregrinamur et mi-
litamus, neque integrum fore PAVLLO obtemperare, qui
EPH. V, 19 etc. COL. III, 16 etc. alia omnia grauissime
monuit. Nec ipse CHRISTVS per hanc opinationem culpa
vacaret, qui nondum glorificatus IO. XII, 16 coll. tamen
v. 28, nihilosecius discipulorum populique acclamantis hy-
mnos solemnnes LVC. XVIII, 37-40 et approbando et a
criminationibus ut illi tempori conuenientissimos defenden-
dos duxit: ut taceamus et ea, quae ex MATTH. VIII, 15
etc. facile deduci possent; et perperam diuelli sibiique op-
poni, quae arctissime cohaerent neque disiungi iure possunt,
ut tam precibus officiisque DEVVM colamus quam laudibus
celebrandis veneremur; et destinatam fuisse hanc formu-
lam non illi duntaxat tempori breuissimo glorificationem
CHRI-

CHRISTI praegressuro, sed omni aevo illam excepturo; et inexcusabilem iniuriam fieri populo Dei sub veteri testamento, qui ante ipsam CHRISTI apparitionem nedum glorificationem, totus fuit in celebrando DEO, eiusque laudibus concinendis impensisimam operam dedit atque princeps et potissimum cultus diuini negotium ea in re posuit, quod ex PS. LXXXV-C, CIII-CVIII, CXI, CXIII, CXV, CXVII et CXVIII, neque minus CXXXIII-CXXXVI, CXXXVIII, CXXXXV - CL aliisque innumeris testimoniis comprobatur. Altera vituperatio grauior fere est, atque ad formulam βαττολογίας inanisque vaniloquentiae insimulandam comparata. Quod ven. BENGELIVS ita comminiscitur l. c. „Scopus orationis dominicae hic est, ut doceamus paucis „petere ea, quorum *indigemus* v. 8, et ipsa oratio etiam ci- „tra doxologiam summam laudis diuinæ imbibit:„ cel. BREITINGERVS autem mus. helv. tom. III p. 387 „Quid „quod etiam gloriae eius ac regni amplitudo ita commen- „datur ac celebratur in prioribus petitionibus, ut plane „otiosa videri possit et superuacanea illa per supposititiam „clausulam repetitio:„ et cel. WETSTENIVS l. c. p. 327 „Parum etiam verisimile est, in tam breui et concisa oratio- „ne, magistrum optimum voluisse ταυτολογεῖν, postquam „comitate 7 adeo expressis verbis πολυλογίαν damnasset: „quid enim sensu differunt σοῦ ἔσιν ή βασιλείᾳ καὶ ή δύναμις „καὶ ή δόξα, ει λέθετω ή βασιλείᾳ σου γενεθήτω τὸ Σέληνος σου. „αγιασθήτω τὸ ὄνομά σου;„ sed idem hic veremut, quod supra. Nam ipsae petitiones secunda et tertia adeo cohaerent cum prima, ex eaque tam euidenter consequuntur, ut inanis opera in illis seorsim rogandis consumeretur, si ratio haec quidquam valeret. Sicut CHRISTVS grauissimo interdicto v. 7 et 8 verbosae vanitati in precando obuiam iuit;

it.

ita etiam sapientissime ipso exemplo cauere voluit, ne importuno nimiae paucitatis studio omnis Dei cultus supplicationibus non magis quam celebrationibus peragendus euangeliceret. Sola certe inuocatio et religiosa pronuntiatio nominis diuini omnem et supplicationem et laudationem Dei imbibit atque complectitur, neutram tamen excludit. Accedit quod CHRISTVS suos docere voluit hac doxologia, nihil detrahi de necessario DEI imperio perfectionumque fastigio, illis supplicationibus praegressis, quibus sanctificationem nominis, aduentum regni et voluntatis impletionem DEVVM rogamus, sed confirmari potius illarum necessitatem, rerumque expetitarum spem certissimam, commemoratione harum doctrinarum sine vlla inanis iterationis formidine facta.

Non ignoramus, haec omnia, quae ad culpandam clausulam controversam proferuntur ab iis, qui illi nolunt, hypothetice tantum disputari, posita illius pio commento excogitatae interpolatione; neque aliis viro vertemus, quae sibi licere atque cum reuerentia CHRISTI consistere posse putarunt: nobis tamen hunc modum sollicitandi infirmandique authentiam verborum ipsius nunquam permitteremus, ut antequam aliunde indubie constet planeque eiusdem sit, ipsi omnino ab iudicanda esse, criminibus traducantur, atque suspicionibus longe arcessitis verique dissimillimis onerentur; in primis si intelligeretur vel speciosissimis obtrectationibus nihil profici ad caput caussae cognoscendum diribendumque.

§. XVI.

Alterum horum argumentorum desumitur a laudabili *Iudeorum* consuetudine non facile supplicandi DEO precibus paullo longioribus solemnique oratione sine doxologia laudumque diuinorum celebratione, quam in praecipienda suis precum solemnium formula CHRISTVM neglecturum

D

suo-

suoque exemplo et ipsa re improbarum fuisse veri dissimilatum est: in primis quod non solum superstitione vacat, verum etiam auctoritate librorum diuinitus scriptorum nititur, qui frequentissima huiusmodi doxologiarum exempla praeiuerunt; ex quibus vnum duntaxat commemorabimus prioris *Chronicorum* libri capite ultimo v. 11 et 12 obuium, vbi singulae praedicationes occurruunt, quibus ipsa haec clausula ad DEVM celebrandum vtitur. Haud parum intenditur haec probabilitas, si instituta comparatione formulae huius atque in primis clausulae ipsiusmet cum precum et doxologiarum formulis apud *Iudeos* antiquitus vsu receptis appareat, illam adeo accedere ad harum similitudinem, vt ex iis composita esse atque tota, quanta est, constare videatur. Quod copiose effecerunt IO. GREGORY l. c. p. 163 etc. IO. LIGHTFOOT hor. *bebr.* in *Matth.* ad h. l. s. oper. tom. 2 p. 302 etc. CHRIST. SCHOETTFGENIVS hor. *bebr.* in n. t. p. 64 et cel. WETSTENIVS l. c. p. 327.

Plane differt, penitus saltem disiungi potest haec sententia ab illorum opinione, qui et integrum precum formulam et hanc in primis illius clausulam ex *Cabbala* deriuare, ad *cabalistarum* saltem placita accommodare et interpretari voluerunt. Quam ob rem nec eorum quidquam hic disputabimus, quae ad hanc opinionem spectant. Neque illorum nos immiscebimus disceptationi, qui doxologiam hac clausula exhiberi negatum iuerunt, quam aetiologicalam precum prae gressarum vocare maluerunt, ipsa particulae ὡρι significatione aetiologicala industi: quod utraque denominatio clausulae huic appriime conuenit, atque licet aetiologicalae supplicationum latius pateant, nulla tamen doxologia cum precibus fusis conjuncta locum habere potest, quae non simul aetiologicala sit ad fiduciam et spem testificandam pariter ac confirmandam comparata. Quod ipse *Iudacorum* doxologiae abunde comprobant, particulis aetiologicalis plerumque exorsae. Illud tamen

men intactum practereundum esse non videtur, quod cel. BREITINGERVS ex prava et erronea interpretatione formularum et precandi et celebrandi DEVM, quas CHRISTVS imitatus fuisse dicitur, a sequioribus *Iudaeis* facta perperam colligit m. h. t. IIII p. 614-616 *Iudacos* nihil habuisse, quod Dominus imitari aemularique potuisset, quum ipsa harum formularum verba ex illorum mente in alienum sensum detorta regno CHRISTI aduersentur. Ut enim taceamus, antiquam *Iudacorum* ecclesiam, quam CHRISTVS imitatus dicitur, detorsionis illius vniuerse team agi neutiquam posse: indubium est ipsiusmet consuetudinis celebrandi Deum in precibus confirmationem aequa dignam fuisse CHRISTO ac vindicias verborum in his formulis obuiorum atque ex oraculis diuinis desumtorum a detorsione et deprauata interpretatione.

§. XVII.

Tertium argumentum subministrat frequentior doxologiarum huiusmodi usus tam apud viros diuinitus actos, CHRISTIque legatos, quam inter veteres *Coristianos* in sacris publice faciendis: quem neutri vel excogitaturi vel a *Iudaeis* traducturi vel approbaturi fuisse videntur, nisi ipsiusmet CHRISTI auctoritatem et exemplum illam consuetudinem et suadere et confirmare existimassent. Non loquimur de hymnis laudumque DEI celebrandorum officio, quod cum aliunde tum ex veteris testamenti locis innumeris locum habere potuit: sed de doxologiis, quas et scriptores diuinitus inspirati sermonibus litterisque suis inferendas esse duxerunt, quarum nonnullae I TIM. I, 17 c. VI, 16; IVD. 25; et ROM. XVI, 27 huic clausulae adeo assimiles sunt, ut ex illa confectae esse videantur, et vetustiores populi CHRISTI doctores precibus et supplicationibus finieris adiiciendas esse censuerunt. Plura exempla ipse con-

D 2

gessit

gessit cel. WETSTENIUS l.c. p. 327 ex ROM. XI, 36; GAL. I, 5; PHIL. III, 20; EPH. III, 21; 2 TIM. III, 18; HEBR. XIII, 21; 1 PET. III, 11; V, 11; 2 PET. III, 18; APOC. I, 6; VII, 12.

Quo antiquiore illam consuetudinem finiendi preces publicas et supplicationes solemnes doxologiis faciunt, et quo speciosius ad vniuersos sacrorum CHRISTI sectatores pertinuisse afferunt, qui exinde clausulam in MATTHAEVM sensim irrepsisse opinantur, eo magis intendunt vim huius argumenti. Quam ob rem rectissime post alios pronuntiauit IO. CHRISTOPH. WOLFFIVS cur. philol. tom. I p. 133: *verisimilius est, verba haec ex contextu Matthei in Liturgias, quam ex his in illum translata fuisse.*

§. XVIII.

Quartum denique argumentum, neque postremum, etiam si ultimo loco comm moretur, ex ipsa probabilitate longe maiore petitur rationis, qua ex una parte fieri potuit, ut sermo CHRISTI apud MATTHAEVM hac precum clausula truncaretur a nonnullis, interprete in primis *latino*, cuius potissimum auctoritatem sequuntur, qui eius authentiae refragantur; quam modi et opportunitatis ex altera parte, qua augeri potuisset humana accessione interpolari que eo successu ut lacinia insuta ad vniuersos codices *graecos* atque tot interpretes supra productos propagaretur. Quod ne leuissima quidem veri specie concipi et explicari potest sine coniectura et diuinatione de originibus clausulae ex liturgiis veterum repetendis: quam tamen insigniter improbabilem atque penitus incredibilem esse nemo facile inficiabitur, qui secum reputauerit praeter ea, quae §. XVII disputauimus, et rationem nullam ne tolerabilem quidem dari posse, cur nusquam compareat interpolatio apud LV-CAM, soli MATTHAEO inserta iisdem ubique verbis, licet

licet doxologiae liturgicae apud veteres verba formulasque mirifice varient; et ipsam doxologiarum in liturgiis obuiarum recitationem ab alio quam precum et supplicationum recitatoribus factam nemini facile persuadere potuisse, pertinere eosdem ad ipsas precum formulas earumque partem constitueratque eiusdem cum precibus originis et auctoritatis esse, nisi id aliunde constitisset de hac CHRISTI formula. Ex altera vero parte in truncatione non solum negligentiae locus esse potuit, qua librarii et interpretes abripi possunt ad praetereundam sermonis particulam, nunquam vero ad infaciendam: verum etiam consilio quamuis imprudente interpretis *latini* omitti potuit clausula, inducti LVCAE auctoritate, cuius euangelium citius per *Italianam* innotuit, *latineque* redditum fuit, quam MATTHAEI, ad sermonem CHRISTI verbis apud hunc vnum obuiis truncandum, quae ipsi aliis difficultatibus obnoxia esse, atque tam sermonem CHRISTI interrumpere, nimiumque diuelgere comma 14 a 12, quam interdicto c. 7 et 8 aduersa videri potuerunt.

Inter regulas cautionesque ad examen variarum lectionum N. T. necessarias, quas cel. *Wetstenius* in prolegomenis anno 1730 editis capite 16 proposuit, in recens editis vero suppressit, pag. 179 haec comparet: *inter duas variantes lectiones, si quae est εὐΦωνότερος, aut planior aut graecantior, alteri non protinus praeferenda est, sed contra saepius, quae in glossematum in primis et interpolationum examine magni momenti est, neque hic negligi debuisset: vbi quo operosius cumulantur suspiciones et difficultates ex contextu verborumque CHRISTI apud MATTHAEVM ordine et cohaerentia, eo improbabilior redditur consilium infaciendi ea, quae sermonem impeditiorem efficere, non expedire aut difficultatibus leuare potuerunt.* Ex canonibus criticis MASTRI-

30 *Authentia doxologiae Matth. VI. com. XIII. obuiae*

CHII decimus sextus et vicesimus sextus idem confirmant.

§. XVIII.

Postremum stadium concitatius decurremus, argumenta secus sentientium eodem ordine, quem in approbanda sententia nostra secuti sumus, examinaturi, breuiter tamen et succinete, ne dissertationis limites transgrediamur. In testibus primi ordinis falsos primum et commentitios a veris discriminabimus, ut horum insignis paucitas appareat. MILLIUS l. c. p. 14 quinque codices producit, cum significacione plurium clausula destitutorum in catenae graecae margine obuia, his verbis: „*ὅτι σοῦ -- τοὺς αἰῶνας* deest in Steph. „*B. cant. cod. Vatican. cod. vetusto aliquo apud Saubert. commentar. in Matth. comp.* (τὸ, ὅτι σοῦ - - - εν τοῖσιν οὐ κεῖται μέχει τοῦ αἰώνιου. Caten. gr. in biblioth. caesarea). „ Idem repeatit editor n. test. graec. angl. p. 539 etc. addita ad magnificenter extollendam codicis vaticani auctoritatem hac descriptione, *in uncial letters suppos'd to have been writ about 1200 years ago.* Nouum testem excitauit b. BENGELIUS l. c. p. 462 „non habet insignis codex Bas. γ., cuius varias lectiones primus publicauit. Idem factum est a cel. WETSTENIO cum codice secundi ordinis 17, l. c. p. 326. Scholiastae prouocationem supra iam examinauimus §. III. Ex reliquis septem codicibus, quatuor dispereant necesse est, si curatior illorum cognitio instituitur. De *vaticano* non vrgebimus conformitatem cum *latino* interprete insignem, qua cel. WETSTENIUS l. c. p. 24 etc. multum de ipsius auctoritate detrahit: sed duo haec commemorabimus, primum perpetram creditum fuisse a bene multis, *complutensem* editionem huius codicis lectionem referre, qua opinione abreptus est MILLIUS ad cumulandas lectiones *vaticani* codicis ex *complutensi*

plutensi editione falso effectas; deinde, exstare clausulam in romanis codicibus, tam antiquissimo vaticano quam reliquis a CARYOPHILO collatis. STEPHANI secundum codicem et cantabrigiensem vnum esse et eundem, nemo nunc ignorat, de quo cel. WETSTENII l. c. p. 28 etc. conferri meretur. Rajianus, quem SAVBERTVS excitauit, sen berolinensis cel. WETSTENII alterius classis 110, ex complutensi editione ad verbum, ne demtis quidem mendis, transcriptus fuit, quod ibidem efficitur p. 58 etc. *Complutensis* vero editio tantum absit, vt codices aequet, vt ne illorum quidem auctoritatem solam sequatur, satis frequenter ad latini interpretis sententiam attemperata. Praeclare hac in re nobiscum sentit b. BENGELIVS l. c. p. 463, eo tamen inexcusatior MILLIO, qui codices pro antiquis admodum magnaenque auctoritatis habitos longe plures in sollicitanda clausulae authentiae sequi sibi visus est. Iam dispiciemus auctoritatem trium, qui soli remanent, codicum. *Cantabrigiensem graecolatinum* copiose describit cel. WETSTENIVS p. 28-38, *basileensem* vero p. 42-44, quem b. BENGELIVS tertium vocat, et regium *parisiensem* secundi ordinis 17 *graecolatinum* p. 47; atque tandem p. 326 ipse fatetur singulos hos tres codices *ad latinam versionem interpolatos esse*: quod idem est ac si intestabiles dicarentur, omnisque illis peculiaris auctoritas abiudicaretur distincta a latini interpretis, quem sequuntur.

Recte egit b. BENGELIVS, quod codicem *uffenbachianum* 7 testibus non annumerauit: quum non solum aetate destituatur, quod ipse obseruauit l. c. p. 463, verum etiam libelli precum vna cum quibusdam n. test. particulis ad liturgicos potius, quam ipsiusmet noui test. codices referantur.

§. XX.

Ex testibus secundi ordinis primus comparet *latinus interpres*:

terpres : cuius plerosque codices clausulam praeterire non inficiamus. Neque tamen adeo vnam mem esse et illustrem hunc consensum existimamus ut debilitari nequeat. In vetustioris versionis vulgatae, quam *italam* vocant, codice praestantissimo brixiano a IOH. BLANCHINO edito in *Euangelio quadruplici* diserte legitur clausula vol. I p. 39. De codice Sangermanensi, idem perhibet PET. SABATIER bibliorum vers. vet. *italicae* tom. 3. p. 34. Recentiores ab ipso b. BENGELIO commemoratos p. 461 non testabimur. Vocabulam postremam *Amen* in versionis *hieronymianae* codicibus exstare indubium est, ab HIERONYMO vero demum adiectam atque non ex MATTHAEI auctoritate, sed ex consuetudine ecclesiastica insertam fuisse, confidentius assuerauit b. BENGELIVS p. 467 quam argumentis approbavit : cui certe nemo adstipulabitur neganti hanc vocem deprehendi apud CYPRIANVM, ea argumentatione vfo nam *etsi textus habet, tamen commentarius copiosus non habet,* quod inuerti potius debuisset, quum mentio in explicatione duntaxat facta longe probabilius ad consuetudinem coetuum sacerorum spectare posset, quam eiusdem commemoratione in recitatione verborum textus. Nulla praeterea ratio reddi potest, cur HIERONYMVS in MATTHAEO tantum inferuerit hanc vocem, in LVCA vero idem facere neglexerit, aut plura ex consuetudine ecclesiastica infarcire noluerit, quae longiorem certe clausulam liturgicam a *latinis* etiam usurpatam ipsi exhibuit, quod *pseudoambrosii* de sacram. testimonio satis constat, quem, quisquis demum fuerit, antiquiorem versionem *italam* sequi supra memoratus SABATIER euictum dedit.

Ex illis, quae supra (§. XVIII) disputauimus, facile intellegi potest, non solum qua ratione in vetustissimis versionis
latinae

latinac codicibus omitti potuit clausula, verum etiam cur HIERONYMVS solam vocem postremam retinendam putauerit, in pluribus codicibus latinis iam obuiam et a CYPRIANO confirmatam, in reliquarum vocum omissione a plerorumque codicum *latinorum* lectione discedere noluerit, ne suspiciones temere mutatorum suisque accessionibus auctorum librorum diuinitus scriptorum confirmaret ipseque augeret. B. BENGELII argumentationem, qua ex locutione *Hieronymi* vocem *Amen*, *signaculum orationis dominicae* appellantis colligit eundem censuisse illam a MATTHAEO perscriptam non fuisse, non intelligere ingenue fatemur; vim saltem illius non perspicimus, quum ipsimet hanc vocem et integrum clausulam pro *signaculo orationis dominicae* habeamus, sed authentico, et ab ipso domino precum formulæ apposito.

§. XXI.

Reliquarum versionum cel. WETSTENIVS p. 326 et BREITINGERVS m. h. tom. 5 p. 255 etc. solas producant *copticam* et *arabicam*. MILLIVS p. 14 addit *saxonicam* ipsumque euangelium *Nazaraeorum*. Singulas seorsim disciemus. De *copti* interpretis auctoritate ipse b. BENGELIVS multum detrahit professus p. 409 eum vel cum *latina* vel *syriaca* versione congruere, quam priorem hic sequi fatemur, licet illum ex immediatis reliqua interpretibus non excludamus. De *arabicis* cognosci poterit ex illis, quae supra (§. VIII) abunde disputauimus. *Anglosaxonicae* a THOM. MARESCHALLO editae, vbi clausula omnino deest p. 15 excepta tamen voce *Amen*, addimus liberaliter OTFRIDI euangeliorum librum, qui p. 202 editionis *basileensis* 1571 eadem exhibit; vtraque tamen versio vulgatam indubie sequitur. De *Nazaraeorum* euangilio deperdito neque statui quidquam potest ex silentio HIERONYMI, quod MILLIVS

E

facit

facit his verbis, e quo cum orationis buius partem citaret Hieronymus coronidem ipsam sane, si comparuisset illic, nunquam præteriisset intactam; neque si reliqua concederentur, versionibus immiscendum esset quidquid demum coniiceretur, quum diuersum plane fuerit a graeco MATTHAEI euangelio, fatente ipso MILLIO proleg. §. 42 etc.

A cel. WETSTENIO ad recentiores versiones prouocari his verbis: „versio tigurina Leonis Iudee δοξολογιας vncis inclusit, in germanica vero editione anni 1528 plane omisit:,, merito miramur, quod nihil auctoritatis habent, et ratio facti satis cuidens et indubia facile apparat.

§. XXII.

Tertii ordinis testium, ad quos harum partium patronis confugiendum est, tantus numerus excitatur ut verendum omnino sit, ne multitudine obruamur. MILLIVS p. 14 haec habet: „deest in - - - Tertull. Cyprian. Hieron. „Chromat. Ambros. Augustin. Omittunt latini omnes, teste „Grotio; vetustiores scilicet. Auctor enim operis imperf. „in Matth. qui δοξολογιας hanc explicat (quod idem et de aliis „Latinorum, si qui eam agnoscunt, dictum volo) inferioris „aetatis est; noni puta vel decimi seculi. E Graecis Orig. „Nyssen. Auctor catech. mystag. (seu Cyrillus, seu Cyrillo posterior quisquam) etiam ubi dominicam orationem ex professo „interpretantur. „ His addit b. BENGELIVS Caesarium, Hilarium pictauensem, Petrum Chrysologum, Victorem Capuanum, Fulgentium, Martialem, Venantium Fortunatum, Gregorium I rom. Isidorum hispalensem, et Petrum laodicensem, quid quod ipsos Bagomilos et Mahometanorum formulam precum, quam orationem Iesu filii Mariae vocant, atque gnomonis p. 50 Euthymium: cel. WETSTENIVS vero p. 326 Irenaeum l. i c. i, Maximum, Germanum Cplt. Iuuencum, et Sedulium. Antequam

quam hanc nubem turramque testium vnde coactam singulatim lustremus, de vniuerso hoc testimoniorum generre tria praemonenda esse putamus. Primum variatio lectionum, quae Patrum allegationibus nituntur, in primis si omissionibus constant, tunc demum alicuius momenti est: si vel ipsorummet scriptorum testimonium deprehensae ab ipsis varietatis lectorumque verborum prout recitantur accedit; vel aliunde compertum est et exploratum, eosdem codicem ad manus habuisse, neque memoriter retulisse verba locorum memoratorum. Deinde patres, qui graece vel non scripsierunt, vel ne sciuerunt et intellexerunt quidem, testes versionis sunt, qua vtuntur, atque adeo testium testes. Sic rete omnino EPHREM syrus ad syriacae versionis lectionem comprobandam, ad latinae veteris CYPRIANVS, AMBRO-SIVS aliquique producuntur, licet iure suffragii testimoniique destituantur, si de ipso textu graeco cognoscitur. In causa denique hic agenda nulli scriptores audiendi sunt inter testes contra authentiam clausulae, qui orationem dominicam duntaxat vel recitarunt vel explicarunt ut partem sacrorum, in primis, si nullam mentionem fecerunt euangelistae, vnde illam desumserint. Quodsi enim LVCAM secuti fuerunt, indubium est explicandae aut commemorandae clausulae locum non fuisse. Idem valeret, si vel maxime constaret recitasse illos orationem ex MATTHAEO, quod existimare potuerunt consuetudine liturgica inducti, hanc clausulam, etiam si authenticam et a CHRISTO profectam atque a MATTHAEO in litteras relatam, non partem constituere ipsiusmet orationis sed appendicem et epilogum, seu doxologiam vel ad animum CHRISTI praeeuntis hanc supplicationis formulam exprimendum, ita comparatam, ut doxologiae epistolis Apostolorum insertae, vel ad praecipiendam

E 2

con-

conceptorum verborum formulam celebraturis Deum, quod communiter et in coetibus tantum sacris fieri debere putarunt. Alia plane ratio est commentatorum, qui MATTHAEVVM explicatum iuerunt, vt CHRYSOSTOMI aliorumque supra adductorum. Ut haec singula artis criticae peritis facile approbari posse, atque demonstratione operosa ne indigere quidem visum iri speramus: ita omnis haec numerosa auctoritas non solum insigniter imminuetur, verum etiam plane concideret et euerteretur, si vel sola harum regularum ope non minus ORIGENEM, CYRILLVM *bierosolymitanum*, GREGORIVM *nyssenum*, quam *latinos* patres in vniuersum omnes intestabiles, reliquos vero perperam et falso adductos, pronuntiaremus. Ne tamen vel pertinacioribus aduersariis minus satisfecisse videamur, neque bene multa praetereamus, in quibus vel fidem vel industriam et sollicitam curam vel aequitatem quorundam desideramus; subibimus onus potiores saltem audiendi atque curatius examinandi.

Vt delectu vtamur, primum ex *Graecis* percontabimur tam IRENAEVM, etiamsi non integer sed maiori ex parte *latina* duntaxat versione perquam imperfetta ad nos peruerterit, quam in primis ORIGENEM, CYRILLVM, GREGORIVM, CAESARIVM et GERMANVM; deinde ex *Latinis* triumuiros TERTVLLIANVM, CYPRIANVM et HIERONYMVM. Reliquorum examen non magis necessarium reputabunt, qui a partium studio absunt, quam LUTHERI in catechismo vtroque, ERASMI, PELLICANI, BVLLINGERI, BVCERI, CAMERARII, SCVLTETI, GROTHII aliorumque recentiorum, quos celeb. WETSTENIUS excitauit.

§. XXIII.

IRENAEI verba haec sunt lib. I c. I §. 5 ed. *grabianæ*

p. 16

p. 16 ἀλλὰ καὶ ἡμᾶς ἐπὶ τῆς Εὐχαριστίας λέγοντας, εἰς τοὺς αἰώνας τῶν αἰώνων κ. τ. λ. Vnde cel. WETSTENIVS colligit distingui hanc formulam ut precationem ecclesiae, a verbis CHRISTI et PAVLI, quorum in praegressis mentio facta fuit; idque efficere, non pertinere doxologiam ad verba CHRISTI apud MATTHAEVM recitata. Verum in hac argumentatione consecutionem desideramus. Illam enim formulam hic commemoratam nemo unquam CHRISTI verbis attribuendam esse censuit, quam non ex oratione Domini sed ex *Eucharistia* conceptis verbis peragenda desumptam esse ipsem IRENAEVS diserte prohibet, qua denominazione sacrae coenae celebrationem pluribus precum formulis peractam antiquitus insignitam fuisse satis constat.

Neque negavit IRENAEVS nisi hanc formulam ecclesiasticam auctoritate CHRISTI et Apostolorum; contrarium potius ex ipsa hac excitatione illius ad confutandos aduersarios apparebat. Multo minus autem ex silentio IRENAEI, in praegresso sermone ad hunc locum MATTHAEI non provocantis, quidquam recte colligitur, quo authentia eiusdem sollicitari possit: quum ea duntaxat scripturae sacrae loca aenanas commemorantia proferantur, quibus haeretici ad errores suos exornandos abusi fuerant.

§. XXIII.

ORIGENIS auctoritas maioris omnino facienda est quam CYRILLI hierosolymitani; neutra tamen id efficeret, quod exinde colligitur, si vel longe maior esset. Prior enim libro περὶ εὐχῆς §. 18, operum a CAR. DELARVE editorum tom. I p. 226 etc. discrimen formulae harum precum apud MATTHAEVM et LVCAM obuiac ostensurus, utramque recitat, priorem clausula aequa destitutam ac posteriorem: nihil autem pronuntiat vel commemorat vnde

E 3

demon-

demonstrari possit, non existisse eandem apud MATTHAEVM, quod ex sola neglectione recitationis nondum apparet, quae aliunde proficisci potuit; quod existimauit, appendicem hanc nullam illarum partem facere (§. XXII), sed eadem ratione illis adiectam et reliquo sermoni ab ipso CHRISTO insertam fuisse, qua similes doxologiae ab Apostolis frequenter adhibitæ fuerunt (§. XVII). Alter vero totus in eo est, vt *catechesi mystagogica* quinta orationem domini, prout in sacris publicis ad peragendam sacram coenam recitari suo tempore consuevit, interpretetur: vbi §. XV quidem, editionis oxoniensis 1703 p. 200, hanc clausulam omittit; tantum tamen abest ab oppugnanda vel sollicitanda illius authenticia, vt potius illis, qui id agunt, unicum verisimilitudinis argumentum, quo factam ex formula liturgica interpolationem aliis persuaderi posse existimant, penitus eripiat, quum testatissimum faciat, suo tempore in liturgia publica nihil comparuisse, quod eiusmodi additamento verborum CHRISTI occasionem praebere potuisset (§. XVIII).

Suspicionem, quam *catecheses mystagogicae* nonnullis fecerunt, qui reliquas duodeviginti ad *competentes* a CYRILLO profectas esse agnoscunt, nec morabimur nec urgebisimus, ne difficiliores esse videamur. Ad ORIGENEM ab illis prouocari, auctoritatemque ipsi prærogatiuam deferri qui orationem domini, LVC. XI, 2-4 ex recepta lectione obuiam, multiplici interpolatione auctam fuisse existimant, mirum nemini videbitur, facileque cel. WETSTENIO, b. BENGELIO aliisque idem opinatis condonabitur: illis vero iure vitio vertitur, qui truncationi verborum CHRISTI apud LVCAM refragantur, quae dubio careret, si ab hac ipsiusmet auctoritate standum esset.

§. XXV.

Quidquid ex GREGORIO nysseno præsidii desumitur

tur ad impugnandam authentiam doxologiae, sola illius praetermissione absolvitur in explicatione orationis domini ab eodem facta. In sermonibus enim quinque, *εἰς τὴν προσευχὴν* habitis, quibus has domini preces explicatum iuit, tom. I operum Parisiis 1638 editorum p. 712-761 obuiis, quintam homiliam commemoratione liberationis a malo finiit, sine vlla mentione doxologiae. Quod nihil omnino demonstrat praeter consuetudinem veterum recitandi has preces sine doxologia, prout apud LVCAM leguntur, habendique illarum clausulam apud MATTHAEVM non pro parte illarum necessaria, sed peculiari formula celebrandi Deum. Ea certe verba, quibus ipsa homilia finitur, *ὅτι αὐτῷ η̄ δύναμις, καὶ η̄ δέξα αἱμα τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἀγίῳ Πνεύματι, νῦν καὶ αἱ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, αἷμην*, ad preces domini non referuntur, licet ipsius exemplum imitentur. Quae celeberr. BREITINGERVS *mus. helu.* tom. V partic. 18 §. 6 p. 238 etc. ex hoc GREGORIO protulit reliqua his verbis: „quam coniecturam non parum iuuant, quae idem „GREGORIVS l. c. de promiscuo vsu doxologiae in sacris „memorat: *Graeca ecclesia*, inquit, *orationi dominicae aequa* „*subiungit hanc clausulam et aliis precationibus; ut illi, quae incipiunt, οὐ Θεὸς, οὐ Θεὸς ημῶν κ. τ. λ. Eucholog. fol. αγ' B.* et quae sequuntur usque ad verba *infinitis prope locis*, nusquam apparent apud GREGORIVM *nūssenū*, sed insigni et memorabili errore ex IO. GREGORIO seu GREGORY, saeculi XVII scriptore *anglo*, cuius supra (§. VIII) mentionem fecimus a b. BENGELIO p. 465 latine prolata, ad vetustissimum saeculi quarti scriptorem *graecum* transferuntur; qui neque *euchologion* neque *typicon* ecclesiae *graecae* excitare potuit.

Non exprobramus celeb. Viro hunc errorem, multo minus malae fidei ipsum insimulamus: lectores tamen monendos

dos esse existimamus, ne allegationibus temere fidant, neque sibi persuadeant in hac caussa disceptanda ab omnibus, qui patrum auctoritates iactant, inspectos lectorosque fuisse testes adductos. Vaga excitatio, qua b. BENGELIVS vtitur, offendiculo esse potuit illius exscriptori; cuius certe errorem excusat, bona fide commissum, lectoribus tamen minori detrimento futurum, si auctorem transcriptae excitationis nominasset, vbi facilius quiuis expiscari potuisset verum commemorati longioris sermonis auctorem.

§. XXVI.

CAESARII vnum duntaxat locum adducit b. BENGELIVS p. 460 et ex eodem cel. BREITINGERVS l. c. p. 239, qui dialogi I quaestione 29, *biblioth. veterum patrum, Lutetiae 1624* editae tom. I p. 564 comparet; τῷ δὲ ἀγγέλῳ ἐπόμενοι καὶ ἡμεῖς, οἵοι ἐνισχύομεν, ἐπινικίως τὸν Χριστὸν ἐν τῷ καιρῷ τῆς Θείας τῶν μυσικῶν τελετῆς βοῶντες, ὅτι σου τὸ κράτος καὶ ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα. Alterum adiecit cel. WETSTENIVS p. 326, qui dialogo tertio quaest. 116 deprehendit l. c. p. 621, ἀλλὰ καὶ τῶν παρὸς τῶν ἱερέων ὀκουόμεν τῷ Θεῷ εὐχαριστὸν αὐτοφερόντων καὶ τὸ κράτος κατὰ πάντων ἀποτεμόντων, ὅτε Φασὶ: τὸ κράτος, καὶ ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἀγίου πνεύματος νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰώνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. Verum nullis fidelibus ex hoc teste plus extorqueri poterit, quam doxologiam solemnem in eucharistia celebranda usitatam similem quidem fuisse doxologiae apud MATTHAEVM obuiae, atque probabiliter ex eadem desumptam ipsi saltem accommodatam, non tamen eandem plane sed auctam insigniter variique immutatam. Quod qua ratione de authentia clausulae orationis domini quidquam derogare possit, penitus ignorare fatemur. Idem de testimonio GERMANI constantinopolitani pronuntiandum est, qui in μυσικῇ Θεωρίᾳ bibliothecae

cae cit. tom. 2 p. 162 obuia, doxologiam liturgicam in celebratione sacrae coenae recitari solitam ita exhibit: ὅτι σοῦ ἐσήν ἡ Βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἀγίου πνεύματος κ. τ. λ.

A celeb. WETSTENIO inter explicatores orationis domini graecos, qui illam totam, quanta est, ex professo exposuerunt, huius tamen appendicis nullam mentionem fecerunt, MAXIMVS quoque refertur: quod, si de ipsius μυσταγωγίᾳ intelligi debet, insigniter a vero aberrat, quum c. 20 bibliothecae cit. tom. 2 p. 186 significatio symbolica quidem orationis domini seu finis et ratio, eur in celebratione sacrae coenae haec precum formula recitetur, ex professo explicetur, nulla tamen ipsiusmet precationis explicatio seu expositio exhibeat; quam ob rem neque practeritioni huius clausulae locus esse potuit.

§. XXVII.

TERTULLIANVM testem produci contra authentiam doxologiae facile patimur: licet locus excitatus *de oratione* c. 8, editionis *venetae* 1744 p. 133, nihil perhibeat, quod controuersum sit; antiquitus enim orationem domini publice sine hac appendice recitatam fuisse apud omnes constat, neque ab illis negatur, qui eandem sermoni CHRISTI a MATTHAEO in litteras relato vindicant. Id vero aegre ferimus, iactari ab oppugnatoribus tam peritiam linguae graecae in TERTULLIANO, ad suspicionem faciendam tex-tus graeci ab eodem consulti, etiamsi versionis *italae* verba vbiuis appareant; quam superstites illius tempore libros αὐτογράφου virorum diuinitus inspiratorum, licet neque locus libri *de praescriptione haereticorum* c. 36 p. 215 ad illam opinionem confirmandam adductus, mentione *authenticarum* literarum Apostolorum apud ecclesias apostolicas recitatarum, quidquam pronuntiet, quod ad illarum αὐτογράφων ibidem

F

obuia

42 *Authentia doxologiae Matth. VI. com. XIII. obuiae*

obuia iure trahi possit; neque, si vel maxime concederetur, in euangelium MATTHAEI quadraret, cuius αὐτόγεαθος, si post euersionem Hierosolymorum conseruatum fuisset et al cubi apparuisset, sine dubio dirimere potuisset dissensionem antiquitatis de lingua eiusdem *authentica*. De CYPRIANO idem plane valer, qui certe libro *de oratione dominica* editionis parisensis 1726 p. 212 explicationem harum precum petitione liberationis a malo claudit, in reliquis tamen sermonis longius protracti partibus diserte commemorat, explicari a se formulam, prout publice recitari consueuerat suo tempore, cum praefamine tam sacerdotis *sursum corda*, quam plebis *habemus ad dominum*, sine adiecta mentione doxologiae a sacerdote recitanda.

In cassum prouocatur in hac disceptatione ad verba TERTVLLIANI l. c. quibus nonnulla commemorat, quae apud MATTHAEVM has preces antecedunt: licet enim exinde confici nequeat, desumtam ab ipso fuisse orationem ex MATTHAEO, quae demta hac clausula eadem est apud utrumque euangelistam; nihil tamen detrimenti caperet cauilla nostra, si vel maxime illud daretur, quum in ipso MATTHAEO doxologiam non pertinere ad ipsam formulam precum facile existimari potuit atque indubie creditum fuit.

§. XXVIII.

In HIERONYMI auctoritate adducenda ipsumet dissidere videntur oppugnatores. B. BENGELIVS p. 466 et ex eodem cel. BREITINGERVS m. h. tom. 5 p. 244 plurimum tribuit loco ex commentario eiusdem in MATTHAEVM, operum editionis anni 1684 tom. 9 p. 18 excitato, quod ipsemet profiteatur recognitionem graeci textus, atque ad canones eusebianos subinde prouocet. Verum explicatio vocis *Amen* abunde conuelliit hanc opinionem, in qua HIERONYMVS, qui versionem suam presso sequitur, nullam textus

tus graeci mentionem facit, etiamsi abfuerit a versione antiquiore itala, et in graecis codicibus exsulare debuerit, si vera forent, quae a secus sentientibus de integra clausula statuuntur. Perspexisse haec existimamus cel. WETSTENIVM, qui hanc auctoritatem, quam certe non ignorauit, silentio praetermittendam duxit, atque ad solum eiusdem locum libro 3 contra Pelagianos tom. 2 p. 205 obuium prouocauit: vbi haec verba leguntur, post commemorationem praegressam reliquarum orationis huius petitionum, ad extremum inferunt, sed libera nos a malo etc. sine adiecta postmodum mentione huius clausulae; quae tamen a nemine hic requiri aut exspectari potuit, quod non solum a versione latina absit, qua HIERONYMVS vtitur aeque ac aduersarii, quibuscum congreditur, verum etiam confutationis ex singularum orationis domini petitionum argumento et fine desumptae ratio et indoles doxologiae, etiamsi in latina versione existisset, allegationem atque ad praesens negotium accommodationem neutiquam admisit.

Reliquos testes sequiores planeque intestabiles si eadem, qua in potioribus et classicis usi sumus, opera audire et examinare vellemus iniurii nobis videremur in lectorum et patientiam et dexteritatem intelligenter applicandi semel dicta sine superuacanea iteratione ad casus similes, in quibus eadem rationes valere debent.

§. XXVIII.

Ea, quae ad argumenta interna huius opinionis, quae nostrae aduersatur, referri possunt, pleraque iam occupauimus (§. XV-XVIII), vt nihil hic discutiendum supersit, praeter omissionem huius clausulae a LVCA, qui eandem omnino formulam cum MATTHAEO exhibit, doxologia tamen destitutam c. XI, 2-4: cuius praetermissionis nullam

F 2

ratio-

rationem reddi posse opinantur, qui ab illis partibus stant, si clausulae indubia authentia constaret. Quod perinde a vero aberrat, ac si quis ex omissione integræ huius orationis in sermone longiore CHRISTI MATTHAEI cap. V-VII exhibito apud LVCAM c. VI, vbi summatim iteratur, suspicari vellet ipsam harum precum formulam, quanta est, apud MATTHAEVM subdititiam esse atque ex liturgiis veterum in sermonem de supplicationum indole irrepsisse. Quidquid ad conuellendam improbabilem hanc suspicionem recte regerendum foret, de diuersitate utriusque sermonis CHRISTI apud MATTHAEVM et LVCAM obuii, similis quidem immo vero eiusdem fere argumenti, admodum diverso tamen et loco et tempore habiti: idem certe ad hanc euertendam obiectionem eo magis valet, quo evidentius apparet recitationem huius formulae a CHRISTO apud MATTHAEVM atque LVCAM alio tempore aliaque opportunitate factam fuisse.


Si quis pertinacius insistere vellet, ipsamque rationem requirere, cur CHRISTVS formulam harum precum uno tempore longiorem cum doxologia, alia vero breviorem sine doxologia recitandam duxerit: dupliciter ipsi satisfaciendum est. Ut enim nemo sine temeritate et praeuaricatione assensum illis doctrinis et sermonibus CHRISTI denegare potest, quarum rationes cognitas penitusque perspectas habere nequit: ita longe arrogantius praeuaricaretur, qui longiorem eiusdem rei vel enarrationem vel expositionem, quae alibi in sacris litteris brevior occurrit, tamdiu suspectam habere vellet, donec probabilis ratio efficiatur factae singularum sermonis longioris partium in breviore non comparentium omissionis; quod quantopere quatuor Euangeliorum fidei officeret nemini obscurum erit. Accedit, quod CHRISTVS ea ipsa prætermissione doxologiae in iteratione præceptae suis precandi formulae docere voluit, aequi licere una cultus diuini parte, quae

I quae supplicationibus absoluitur, seorsim subinde fungi, quam coniunctim et communiter vna cum altera celebrandi DEVVM venerandique ipsius perfectiones. Quod ipsa occasio huius iterationis apud LVCAM desiderare videbatur, vt homini de supplicationum formula ad exemplum a IOANNE baptista prosectae sollicito satisficeret. Perperam igitur haec libertatis in veneratione Dei significatio eo trahitur, vt CHRISTVM noua breuioris supplicationum formulae recitatione prioris auctoritatem abrogare voluisse existimemus.

§. XXX.

Emensi, quod nobis praescripsimus, stadium DEO O. M. supplicamus, vt suo in nobis beneficio et petitionibus obtestandi et laudibus celebrandi summum perfectionum suarum numen indulgentissime faueat, omnibusque, qui ipsum venerantur, longam et laetam ipsique aeternitati profuturam experientiam praestet *regni sui, potentiae et gloriae in secula perennitatem*. Quam ita complectamur desideriis, et delatione consensuque approbemus atque nostram faciamus, quotquot DEO frui cupimus, vt materiam et argumenta pariter ac rationes stimulosque inde repetamus confidenter rogandi obsecrandique Patrem nostrum, qui in coelis est, vt non solum ea omnia consequamur, quae CHRISTO auctore ad felicitatem nostram pertinent, verum etiam *regno, potentiae et gloriae* ipsius per omnem vitam vniuersa opera nostra enixe inseruiamus, donec ad consummatorum religionem transferramur aeternumque concelebremus eum, cuius est
regnum et potentia et gloria in seculum

Amen.



AESTVMATISSIMO
RESPONDENTI
SAL. PLVR. DIC.
P R A E S E S.

Quo longior excreuit dissertatio, quam publice tueberis, eo
breuiores a me habebis litteras; prolixissimas futuras, si
animo indulgere, aut ea omnia scribere vellem, quorum
mihi et de TE et de hac disputatione TVA in mentem venit. Vtar
igitur delectu atque potiora duntaxat commemorabo, quae non igno-
rari TVA, mea, aliorumque non omnino nihili referre videtur.
Annus fere effluxit, ex quo in dissertatione hac elaborare coepi,
partemque illius dimidiam typis exscribi curaui; quod ex diuersa
commemorandi b. BENGELIVM ratione satis apparebit. Quae
diuturnior mora ita se habuit. Destinaueram hoc scriptum alii au-
ditorum meorum, cuius rogatu illum laborem subieram, ut haberet,
in quo defendendo tirocinium poneret, dexteritatisque documentum
daret, quod de se ex tabula publica recepit. Postquam vero ne-
cessarium iter caussatus redditumque ad specimen constituto tempore
edendum pollicitus, siue solemnum confitum veritus, siue fraudem
meditatus, leui saltem et ingrato animo, fidem publice priuatimque
datam fecellit: scriptionem interruptam commodiorique opportunita-
ti reseruatam instaurare atque perficere nolui, priusquam certiorem
haberem meliorisque fidei tironem, cui has partes concrederem.
Quas quum plures sibi expeterent, simulac de illarum desertione con-
stitit,

stitit, primas **TIBI** deferendas esse putaui, quod non solum ex quotidiano conuidu proprius et familiarius mihi innotueras, verum etiam reliquos competitores praecesseras. De argumento dissertationis, tradandique ratione, qua in scribendo usus sum, nihil attingam. Vtrumque, si quid coniicio, illis facile approbabitur, qui cum insignem utilitatem et necessitatem studii critici curatius colendi, quam plerumque fieri solet ab iis ipsis, qui illud prae se ferunt, tum frequentiorem impugnationem recens factam authentiae grauissimi huius oraculi, quam defensum iuimus, non ignorant: neque illis, ut spero, displicebit, a quibus dissentendum fuit, si forte in conspectum illorum venerint hae vindiciae; quod et neutrarum partium res priuata agitur de integritate textus sacri intemerata conseruanda vtrinque sollicitarum, et in contradicendo eam moderationem adhibuisse nobis videmur, quam patronorum alterius sententiae in bonas litteras merita requirunt. Venio nunc ad **TEMET** ipsum, quem sine publico testimonio ex disciplina mea non dimittam, in quam **TE** tradidisti iam rite finitis studiis, qaae in academiis tractari solent. Tres enim annos in albertina regiomontana academia ex auditionibus tam philologicis, historicis, philosophicis et mathematicis excellentissimorum **GÜTTHERI**, **CHRISTIANI**, **KYPKII** et b. **KVNTZENII**, quam theologicis venerandorum **SCHVLTZII**, **KYPKII**, **ARNOLDI**, **LILIENTHALI**, **MOLDENHAVERI** et b. **SALTHENII** non mediocriter profecisti, emensusque illud stadium, nouum decursurus huc concessisti, ubi annum integrum, et quod excurrit, praeter institutiones excellentissimorum **STIEBRIZII**, **MEIERI** et **HEVSLERI**, scholis meis antitheticis, hermeneuticis, symbolicis et exegeticis in epistolam **PAVLI** ad Colossenses assiduam operam dedisti, atque in amplificanda rerum diuinarum humanarumque scitu necessiarum intelligentia omnem industriam viriumque contentionem laudabiliter collocasti. Quod **TIBI** vere et ex animo gratulor, vna cum spe singulari, quam mihi fecisti, fore, ut salutarium doctrinarum, quas imbibisti, uberrimos fructus

fructus et ipse capias in rem TVAM et ciuitati sacrae referas feliciter. Ut id agas enixe per omnem vitam non TE bortabor, quod iam velle confido, sed DEVUM O. M. precabor, supplicacionibus meis TVISque communibus non defuturum, cuius ope et beneficio vel amplissimam eorum omnium, qui TIBI cupiunt, de TE conceptam spem facile sustinebis, confirmabis, augebis et superabis. Fauxit benignissimum rerum nostrarum arbitri numen, ut non solum diu bene beateque viuas, verum etiam omne studium operam et industriam ad gloriam ipsius concelebrandam conferas, atque de utilitate publica ciuitatis sacrae insinuiter merearis. Cuius voti damnatum nulla me TVI obliuio capiet, aut amoris mei apud TE memoriam delebit. Vale DEOque commendatissimus rem TVAM semper age rectissime. Dedi Halae ad Salam in acad. Frideriana d. III Iulii c^occ^ol^oiii.



VIRO
PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMO,
DISSERTATIONIS HVIVS
PRAEDICATIONEM OMNEM LONGE SUPERANTIS
DEFENSORI STRENUO,
FAVTORI ATQVE AMICO SVO
LONGE AESTVMATISSIMO
SVAVISSIMO

S. P. D.

IOAN. AVGVSTVS VRLSPERGERVS, AVG.

S. S. TH. C. OPP.

Non confutudini, quamvis alias valde laudabili, nec **TVO**
desiderio licet honesto: sed mutuae nostrae amicitiae, **TI-**
Blique non minus, quam mihi illud dandum putavi, vt has-
ce ad **TE** litteras scriberem; quae si minus concinne atque elegan-
ter erunt conceptae, scriptoris festinationi, si iusto prolixiores, di-
cendorum multitudini veniam beneuelle dubis. **Quo** enim certius
id atque exploratius ambo habemus, breui temporis interuallo fore,
vt, in diuersissimas disiecti oras, remotissimi simus: eo magis omnino
prouidendum esse existimau, ne, quae locorum distantia vt corpo-
re praesentes simus haudquaquam patietur, pernicioſa simul et no-
xia animorum iunctioni euadat. **Nihil** enim, nisi bene ad nosmet-
ipſos attendimus, facilius cuenit, quam vt eorum, in quos vohemen-
ter quidem propensi simus, absentiam, increbescente sensim sensim
que obliuione, nimis indifferenter frigideque feramus. **Quo** ipſo,
G quam

quum amicitiae magis inimicum reperiri non possit, opera danda
est, ut inuiolabilis nostrae fidei atque amoris pignus quoddam ami-
cis exhibeamus, quod quoties contemplantur, saepe vero contem-
plentur necesse est, vetustae consuetudinis scintillas excitet, excita-
tas ad flamas quasi perducat. Cumque ad amicitiae haud inter-
rumpendae continuationem non facile fortiora in medium profer-
ri argumenta poterunt, quam eadem ipsa, quae statim initio con-
suetudinem incundam non dicam suaserunt, sed vehementer po-
poscerunt: quid TE, Amice Optime! magis mouebit, nisi quum
ingenue fuero professus, quaenam initi nostri amoris origo, qui-
nam progressus, denique fundamenta ipsa fuere. In quo tamen
negotio ita versabor, vt nec modestiam TVAM laedere, nec
ipsem quibusdam glriosus esse videar. In omni veri nominis
amicitia alia fundamenti loco quasi substernuntur, nec in illa un-
quam abesse possunt; alia mutuae benevolentiae gradus definiunt,
amoremque vehementiorem reddunt et dulciorem. Primum illo-
rum genus intellectus perspicientia, voluntatisque integritate con-
ficitur, quo fit, vt et bonos omnes et non nisi bonos diligere nos
oporteat; alterum vero maiori vel propensionum connatarum et ad
virtutis normam bene ordinatarum similitudine, vel educationis,
studiorum aetatisque conuenientia absoluuntur; quae quidem postre-
ma, quamvis in amicitia minoris habenda sint, plerumque tamen
arctius animos copulant, quam illa priora et magis necessaria ma-
gisque secura. Sed quorsum haec dispuo? Eo, vt optime intelli-
gas, ab illo suauissimo temporis momento, quo proprius mihi inno-
tuisti, non me potuisse non TE diligere carumque habere. Qui
tenerimus quidem mentis meae in TE affectus, quo lubentius in
confuetudine TVA et familiaritate adquieuit: eo insigniora ma-
gisque accelerata quotidie cepit incrementa. Amaui enim in TE
animum digne de DEO diuinisque tam natura quam reuelatione
cognitis cogitantem; magni feci pectus virtutis gloriaeque haud
fictitiae, sed verae aeternumque manentis studiofissimum; miratus
denique sum felicem illam mentis TVAE naturam et conditio-
nem, cuius ope nunquam ita hilaris conspiciebaris, vt resultares lae-
titia, nunquam ita animo fractus, vt molestiam amicis creares.
Quae omnia multaque alia cum diuinitus accepta grato tueberis
animo,

animo, sic TIBI maxima laudi cedunt, et digna sunt, quae altis
imitationis causa publice proponantur. Sed ne in orationem ex-
crescat epistola, vela contraham, ad tria, quae dicenda restant, re-
vocaturus. Vnum rem ipsam spectat, quam sub Diuinis auspiciis
conficiendam TIBI sumfisti, TIBIque, et ob summa AVCTO-
RIS EXIMII merita, cuius defendere asserta dignaris, et TVL-
METIPSIVS in tuendo alacritatem dexteritatemque omnibus
comprobandum dupliciter gloriosam; quam quidem TIBI eo con-
fidentius gratulor, quo magis id perspectum habeo atque exploratum,
felicem in hoc negotio non sperari euentum debere sed certissime
praesignificari. Alterum vota continebit sincerrima pro salu-
te TVA magis magisque euhenda stabiliendaque in medium pro-
ferenda; quae quidem eo erunt ardentiora, quo breuiora sunt, pau-
corumque verborum arctis limitibus circumscripta. Ita scilicet
fortunatus sis, ita per omnem vitam quouis felicitatum genere cu-
mulatus, ut merita TVA postulare videntur, boni omnes optant;
amici vero a SVMMO rerum MODERATORE piis efflagitare
precibus nunquam cessabunt. Tertium denique mutuam nostram
propius amicitiam tangit, quam TV, vt vehementer oro rogoque,
integrar mihi conseruabis; ego arctiorem reddere conabor; vter-
que vero nostrum ad perfectionem, quae dabitur, summam, omni
studio et labore perducet. Sic vale mihi que faue. Dab. Hal.
ad Sal. d. VIto Iul. MDCCCLI.



Ecce licet rumpant alioquin foedera bella;
Nostra tamen nobis nil minitantur atrox;
Me sed ad illa vocans animum testaris amicum,
Namque TVAE victo pars mihi laudis erit.
Gratans ergo mihi, certas TIBI porrigo palmas,
Ast doleo fatum, Dulcis Amice, TVVM.
Inuenies etenim cinctum leuioribus armis,
Quam mea vota volunt dexteritasque TVA.
Me latet ast minime, soli quod de grege plebis
Semper amicitias vtilitate probent.
Non TIBI quae doctrina, mihi quae curta supellex
Ergo disiungi vincula nostra iubent,
Sed mihi crescentem famam, crescentibus annis
Semper gratabor, Dulcis Amice, TVAM.
Quo nos fata trahant, et foedera nostra manebunt,
Teque colam: sed TV sis memor atque TVI

TIBI

obsticissimi

E. P. ROSENOW

Wildeberga-Pomeran.

OPPON.



Coll. dim A. 145,4